

quam Lipsiæ habuit inauguralem sic inscriptam: *Exercitatio juris civilis de temporis continui & utilis computatione.* Lips. 4. 1791.

E munusculis aliarum rerum hæc sunt commemoranda: Caroli Gottlob lib. Bar. de *Schachmann vidua*, matrona generosissima, memor illius erga Milichianam nostram liberalitatis, cujus carissimus quondam ipsius maritus specimina multa extare voluit, dono dedit: XIII. diversæ formæ exempla tabularum chalcographicarum, quas sua manu elaboravit conjux ille, dum viveret, dulcissimus isti matronæ, amicis in deliciis habitus, nec unquam obliviscendus.

Nummarii generis antiquarii duo sunt, unum *Sodalitatis litterariæ Lusatice*: Bracteati octo, e pluribus Lindæ nuper in Lusatia super. effossis in horto prope ædes Parochi. Exempla sunt non unius generis. Sed viri docti & rei hujus numismaticæ intelligentes mire lætati sunt illo invento, propterea quod in nonnullis illorum bracteatorum facile agnoscerent inscriptionem circulaem vocabuli *Gorliz*, haud obscure expressam, adeoque nacti essent monumentum rei numismaticæ Gorlicensis & Lusatice antiquissimum. Hujuscemodi bracteati cum reliquis illic detectis asservantur in illius sodalitatis litterariæ Museo numismatico.

Alterum duplex *J. G. Geisleri*, cujus supra indicavimus librarii generis dona:

1) Nummi quatuor antiqui, in quibus eminet unus, argenteus, moduli medii, urbicus, Neapolitanus, mire conservatus. In parte antica cernitur Dianæ caput, in postica Minotaurus, ac super eum victoria volans, altera manu coronam tenens. In segmento legitur litteris græcis majusculis *Νεαπολιτ* --. Reliqui sunt Cæsarei e seculo secundo. Postremus Turcicus (ein Asper)

2) XI. nummi argentei Cæsarei e seculo III. moduli medii, plerique bene conservati: Elagabalus, Julia Mæsa, Gordianus pius, Philippus pater isque duplex, alter rarus, Decius, aliique. Hi omnes sunt e reliquiis illius apparatus numarii, quem ante hos duo fere annos in Hungaria rusticus quidam inter arandum ex agro eruit, & qui postea Vindobonam delatus est publica auctoritate, ut nummi potiores illic venderentur emolumentum causa, quod inde paratum cederet inventori. Reliqui a Judæis aliisque hominibus eodem consilio cum in alias regiones distracti fuere, tum